# NOUA AD PROTOTYPUM CREATORIS PROCREATIO ORATIO HABITA...

Giovanni Battista : da S. Caterina, Valenti Gonzaga

SUPREMI Moderatoris amor eò ſemper totum ſuum conatum, mentemquè direxit, ut ferè indita Immenſitatis conditione abacta creaturam ad ſummum apicem honorum, ac dignitatum celſitudinem potiſſimùm extollere anhelaret. Nequè ſat duxit munificentiſſima Bonitas eam ad nativam ſui deſignaſſe iconem, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, Gen. 1. 26. Orbis amplitudinem ſibi ſubdixiſſe univerſi; *Omnia ſubieciſti ſub pedibus ejus*; Pſal. 8. quin inſupèr ad faſtigium totius Divinitatis, & ad inaceſſibile divinæ naturæ conſortium elevare portendit. Portendit ſanè. Mirum utiquè! Et cur ſerpentis actu ſpei deſ-

peratæ illicio pellecta, & commentitiæ Divinitatis nutrimento refecta à seipsa descivit Creatura, penitusvè discessit? *Adhærere Deo bonum est*, Regius modulatus est Uates: Adam assererem totum deificis adhæsisse votis Deitatem peroptando; ambit ergo uterque, Devs ut elargiatur, Adam ut elargiendæ Divinitati simul & largitori occurrat. Attamen à Deitate sejunctus, nec divinus modò non est effectus, sed in Dæmonem cedens, dæmonis maculas, conditiones contraxit. Sat intellexistis. Supra se avolare presumpsit, & supra cætera equalem Creatori se ambit; hinc ad extremam sub toto creatarum rerum ordine vilitatem est à Creatore ipso redactus. Proh miserum fatum! Ambientium deplorandaque sors! Deitatis tentare

Ps. 72.

per-

pervadere celſitudinem eſt irrequieto lachrymarum fluxu deplorare Dæmonis ſimulacrum ; at nihil in optatis habere, optatam à ſupremo Creatore retinet Deitatem cælitùs nihilum optantibus elargitam, *Ego dixi Dij eſtis* . Fauſtiſſimam igitur vobis gratulor Patres Conſcripti toto cordis afflatu, toto mentis affectu , quippè qui nullo veſtro labore, eam niſi ſubmiſſionis merito cum Deo ſimilitudinem , & affinitatem nunc temporis conſequimini . Nova hæc,ſed mira omnium veſtrum cum Divina Omnipotentia ſocietas vehementi adeò admiratione me rapit, ut æmulatorem in novi Orbis creatione oſtendam veſtrum quemque conſtitui,dum ad Supremi Præſulis electionem accedit. Cætum veſtrum Creatoris lo- Ps. 81.

co , electionem pro creationis officio, eligendos Præsules novas veluti partes Orbis creandas proponam. Exiguæ hujus Orationis meę probationes, vestris suffultæ meritis, & merita vestra loquentur.

Frustrà nobilissimo laudum flumini à vestrorum profluenti meritorum fontibus opponitis verecundæ dissimulationis aggeres, ac nequicquàm hujuscemodi honori in vestris collucenti animis nubem moderationis obiicitis, dum irradians vestrum virtutum jubar castigatum modestiæ velo, amabiliùs emicat; & dum Deos alloquor, Deosquè nuncupo, quò has divinas dotes coercetis arctiùs, eò magnificentiùs circumstantiarum vestrę glorię intumescunt fluctus. Quid enim Creator Deus effecit in prima, quòd

in altera creatione per vos Electores utpotè Deos non peragatur? In ea quippè non vna ex Deo Persona se præbuit, sed omnes proprium præstitère concursum, & opem; in hac non unam, sed plurimas, easquè selectissimas è tota Congregatione personas, Monasticę perfectionis numeris omnibus absolutas, inspicio.

Dixit Deus in prima *Fiat lux, & facta est lux*, scilicèt hilaris Cæli risus, ridensquè naturæ hilaritas, & si nil luce gaudet natura pulchrius sivè ad dignitatem præstantius, sivè ad utilitatem meliùs: pro luce, doctrina nil habet homo præclarius. Lucem istam vos conditis animatam, quæ familiam hanc sacram ad montem, qui Christus est fulgore veræ sanctimoniæ perducat. Cælos Deus ipse perfecit, & Cælum vos Gen. 1. 3.

mirum efficitis, quod verbo Domini perpetuo firmetur, ac virtutum syderibus conveſtiatur, cum *Ornamenta Cælorum virtutes ſint*, teste Gregorio. Inſuper *germinet terra erbam virentem, dixit Deus, & factum eſt.* erbeſcenti viriditate ameniſſimè conveſtita apparuit terra; & vos multiplici florum intelligentià procreatis hominem exhalantem undiquè ſuauiſſimum exiſtimationis odorem gratum omnibus, cunctiſquè jucundum. Quid plura? *Faciamus hominem, qui præſit piſcibus maris*: faciamus hominem & vos dicitis, qui univerſæ noſtræ Congregationi tamquàm animato mari præſideat, & præſidendo lenimento verborum, leni veluti undarum fluxu mentes nutriat, & riget.

Hom. 10 in Euang.

Gen. 1. 11.

Gen. 1. 26.

Univerſi totius partibus abſolu-

tis

tis,ad excellentiorem Orbe creationem ſe contulit Deus, ad imaginem ſuam creans hominem fecit. Et vos quid aliud faciendum ſuſcipitis Sapientiſſimi Patres, quàm hominem qui ſecundum Deum creatus eſt reproducere? Quicquid divinarum dotum obtinere fas ſit fragili humanitati, eo fine perquirentes in ejus vita, ut divino archetypo ſua conſonet imago, ſuus reſpondeat typus? Quòd ſi creatum hominem Deus in voluptatis Paradiſo repoſuit; & alterum Adam eo intuitu vos nova creatione producitis, ut eum ponatis ad Religionis, tamquam ad recentis Paradiſi cuſtodiam.

Paradiſus eſt quippè Religio, & quidèm præſtantiſſimæ voluptatis, Paradiſus inquam, ubi Divina formoſitas totam ſeſe defert ſpiritibus, Religio Paradiſus

æter-

æternis eos delicijs cumulat, circumquaquè Paradisus verò, ubi charismatum fontes, copiosa fluenta benedictíonum, placidissimæ Sancti Spiritus auræ, flores virtutum angelicarum, meritorum sapidissimi fructus immortalem deferunt vitam, ad invidiam nedùm viridaria Adonidis excitantes, sed vèl ipsum pristinæ voluptatis locum è laboratissimo Dei opificio, totum ad Adę oblectamenta compositum. 'Hoc in tàm sublimium deliciarum loco vos reponitis vestrum Adam, ut de primo ad ultimum tota Dei creationi respondeat electio, quam agitis, & illius opera similimis lineamentis exprimat permirificè vestrum opus. Quid dixi exprimat? Superet melius dicam, 'cum ore corporatæ Divinitatis sublimitas ipsa eloquatur: *Opera*

*quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet*; faciet sanè, & in vobis probatur eventus, dumodò vestræ electionis cum suprema creatione prosequi diutiùs aliquantò nõ pigeat. Quid enim creando Deus effecit? Hominem. Maximè planè opus, cùm suffragante Augustino, *Omnium mirabilium Mundi majus miraculum sit homo*; majus tamen vèl maximo vos opus efficitis, Hominem Deum videlicet creatis, cùm Præsules quippè Deos, Deus ipse agnoscat, & prædicet: *Ego dixi Dii estis*.

Io: 14. 12.

Lib. 10 de Ciuit. c. 12.

Ps. 81.

Adam Deus condidit, ut custodem constitueret in amænissimo Paradiso. Excellentioris proh quantæ custodiæ vester Adam destinabitur Paradisi! Animas concredendas suscipiet, in quibus Deus velùt in suo

viri-

viridario secreto versari gaudet; morasvè producere, cum delicias suas se cùm filiis hominum esse profiteatur. Operaturum enim Deus Adam collocavit in Paradiso, *Ut operararetur*; & vestrum Adam in Religionis Paradiso reponitis, nisi ut operetur non sibi, sed suis, non quęrendo quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, non propriam utilitatem, sed alienam, præsit, ut cunctis prosit, ut operetur lucra animarum, pastoris modo oviculas aberrantes humeris superimponens, gregem ducens ad pascua veritatis; si quæ sit morbida pecus tartareos arcens à suis gregibus lupos, lupos penitùs conteratquè, disperdat.

Gen. 2.15.

Tantum est munus vobis impositum, ut uèl divinæ Omnipotentiæ partes excedat, munus quippè athlã-

ticis,

ticis, imò angelicis humeris formidandum; Nevè ulli formidinis ratio occurrat, ad Religionis nostræ fulcimentum libera servate suffragia, nemini spondendum, nulli devovendum, ne propheticum, Deo vindice, de vobis inferatur eloquium: *Ipsi obligati sunt, & ceciderunt* à tam excelso Deitatis fastigio. Munus sanè, & opus ad quod producendum Deum ipsum totum applicatũ manu, sensu, actione, consilio, sapientia, prudentia conspicimus: *Omnia disposuit in numero, pondere, & mensura*. Vos cunctos trutinantes in numero optimum ex melioribus eligite, singulos perpendite, æqua vestra judicii lance meliorem seligite, Melliflui Parentis obsecundantes nutibus, *ut praesse, & prodesse eligendus sapiat*. Et si pondus à pondere dif-

Ps. 19. 9.

Sap. 11 21.

S. Ber. lib. 2. de Cõsid.

differt; Vos profectò omnes digni, non omnes apti, dignum reddunt merita, aptum constituunt dotes. Aptissimum, dignissimum sæpè nostro effingimus arbitrio, quem nec casus ipse formaret; non ab arbitrio, sed à merito proprio non alieno, adepto non occupato Præsul exprimendus, ut veraces in pondere Justitiæ, haud

Ps.61. *mendaces filii hominum in stateris*, arbitremini.

Demùm æternus rerum omnium Creator & Dominus servilem formam, obumbrata Divinitatis suæ Majestate, suscepit, ut quos sub immani priscæ contagionis jugo dura tenebat captivitas, optata diù liber-

Gal.4. 5. tate donaret: *Misit Deus filium suũ natum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret*, ac redemptionis totius pondus in salu-

tife-

tifero Crucis vexillo luceret. Vobis ut Dei vestigiis insistentibus, non Golgotha, Genuensis occurrit Crux, Crux adeò præpotens, ut non ignominiam, sed gloriam suis deferat Civibus, cujus præsidio eminet in his altitudo animi in rimigandis negotiorum viis, in gerendis acre consilium, nilquè est quod aut non cautissimis sententiis administret, aut strenuo labore perficiat! Quid amplius? Si Pontificia imperia, tot christianæ Reipublicæ Moderatores, tot ferè innumeros purpuratos Ecclesię Principes, tanti generis amplitudinem, tot uberimas opes enumeras; hanc Genuensis Crux sibi gloriam vindicat, teste Cirillo Alexandrino, post mortem Christi: *Crux non amplius ignominia, sed gloria est*.

Genuę Crux commēdatur.

Serm. de Resur. D.

Tu interim Sancte Spiritus, amor Dei

S. Spirit. invocatur.

Dei suavissimus, ejusquè osculum increatum, ut creationis hujuscè novæ, opus à serpentis labe præserues immaculatum, eorum ne vota contemnas, qui flexis mentis genibus dimissi, ac venerabundi accedunt; etsi in Mundi hujus creatione ad opem tuam implorandam ferebaris super aquas, super eorum feraris corda, qui te dimisissimè colunt. Vos autèm Patres Dei vices impletis, Deifico, ac vestro consulite, providete honori; bonoquè communi prospicite, ut imitatores Superni Creatoris effecti, revèra efficiamini Deitatis consortes, proùt vobis dicebam: *Dii estis*.